et partim novis religiosis tributa sunt, et partim occupata per principes saeculares. Verum hodie constat, quod fratres Praedicatores plures possident notabiles Conventus, qui fuerunt domus Templariorum, sicut est Conventus Viennensis, Argentoratensis, Eslingensis, Wormatiensis et caeteri. Hos tamen Templarios quidam excusant, dicentes, quod rex ad eorum deletionem anhelaverit, ut bona eorum haberet, sicut patet in Chronic. Anton. Parte III. Tit. 21. C. 1. §. 3.

Tertius ordo post duos praecedentes non diu initium sumsit in Jerusalem, qui dicitur Sanctae Mariae Theutonicorum, cujus tale legitur fuisse principium. Cum inter populos fidelium maxime Theutonici sint devoti locis sanctis et in numero magno cottidie in Jerusalem venirent, taedio affecti Hospitalarii, qui erant de Francia, minus de Theutonicorum provisione curabant. Quidam autem Theutonicus cum uxore sua domicilium suum transtulit in Jerusalem ibique habitabat. Videns autem suorum Lantzmannorum miseriam et defectum, fecit maximam domum suam hospitale parvum cum capella beatae Virginis de licentia et consensu domini patriarchae Jerosolymitani pro receptione peregrinorum theutonicorum. In illo ergo loco devoverunt se quidam, servituros pauperibus et peregrinis ministraturos, et in dies crescebant ita, ut ultra modum ditarentur, unde Coelestinus Papa hujus nominis III. habitum album cum cruce nigra et regulam tradidit. Sunt autem quidam medii inter ambos praecedentes ordines, nam cum Hospitalariis sive Johannitis servierunt peregrinis et pauperibus et cum Templariis pugnaverunt cum Sarracenis et infidelibus. Unde post terrae sanctae amissionem jussu Papae in Scythiam Europae descenderunt et Bruthenos, gentem adhuc idololatriae deditam, converterunt et ipsam Brussiam, Livoniam et alias terras in oceano germanico multis laboribus converterunt ad Christum.

His igitur ordinibus institutis et (**277 A**) aliis perfectis pius rex Jerusalem Balduinus in gravem incidit aegritudinem, videnque sibi mortis imminere diem de proprio palatio egressus supplex et humilis regio fastu deposito in conspectum Domini in palatio patriarchae, quia locus dominicae resurrectioni erat vicinior, se transferri praecepit ibique vocatis filia

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;